

respectu aliquorum charismatum, et gloriae accidentalis. Quia tamen non fuit influens in gloriam essentiale absolute, et quoad substantiam, non requiritur quod etiam in genere causæ finalis fuerit primus prædestinatus respectu Angelorum, quoad substantiam gloriae absolute consideratam, licet ad Christum referatur eo modo, quo res naturales: sed fuit primus prædestinatus auctoritative, quia habuit supremam gloriam supra omnes Angelos.

XXI. Hæc sententia videtur conformior D. Thomæ, præsertim quæst. xxix de veritate, art. iv ad quintum, ubi inquit: « Humanitatem Christi ordinari ad influencias in homines, sicut ad finem intentum; influxus autem in Angelos non est influxus, ut finis incarnationis, sed incarnationem consequens: » et articulo vii ad quintum: « Quod Angelis quantum ad præmium essentiale nihil meruit, valet tamen quantum ad præmium accidentale. » Et si in hac sententia facilis est responsio, quod Angelus non solum accepit gratiam ex providentia generali, sed efficaciter prædestinatus est ante prævisionem Christi, quantum ad substantiam prædestinationis: quantum ad aliqua tamen accidentia, nempe alias revelationes, et charismata gratiarum, Angeli non fuerunt efficaciter ordinati ante ipsum Christum, sed ab illo ut a fine id habuerunt. Et ideo dicit D. Thomas, quod quantum ad has revelationes, et accidentalia præmia se habebant Angeli, ut viatores respectu Christi, in loco citato, ex quæstione xix, articulo xvii.

XXII. Est etiam consequenter juxta hanc sententiam dicendum, prævisum fuisse peccatum ex suggestione diaboli jam damnati, sicut et Angeli prævidebantur glorificati, quantum ab substantiam. Et quando D. Thomas dicit super caput se-

cundum Joannis lect. x: « Quod de plenitudine Christi acceperunt omnes Apostoli, et patriarchæ, et prophetæ, et justi, et etiam omnes Angeli, » non cogit quod ly omnes Angeli intelligantur accepisse esse entiale præmium; sufficit enim quod accidentale. Et in hac sententia, quæ est D. Thomæ respondetur etiam conformiter ad sententiam ipsius, quod Christus non venisset, nisi ex prævisione peccati.

XXIII. In alia autem sententia, quod Angeli, quoad essentiale præmium sunt prædestinati per Christum, et consequenter non prævidebatur Angelus prædestinatus, nec reprobatus ante peccatum hominis; et tamen homo prævidebatur peccans ex suggestione diaboli, non video quomodo sustineri possit sententia hæc D. Thomæ; sed tenetur dicere, quod prædestinatio Christi fuit ante prævisionem peccati Adam, quia peccatum illius fuit ex suggestione diaboli, et consequenter ante prædestinationem Christi visum est peccatum diaboli, sicut et hominis, juxta nostram sententiam. Si est prævisum peccatum diaboli, vel jam reprobati, vel nondum reprobati. Si reprobati, habemus intentum, quod reprobatio diaboli præcessit prædestinationem Christi, et consequenter etiam bonorum Angelorum prædestinatio, quæ anterior est ad reprobationem diaboli; si autem diabolus nondum prævidebatur reprobatus, et tamen videbatur peccator: ergo quando in secundo instanti post Christum facta est prædestinatio Angelorum, et reprobatio diaboli, jam illa reprobatio habuit causam, nempe peccatum prævisum in diabolo, cum tamen omnes Thomistæ negent in Angelis dari causam reprobationis, quoad primum effectum, et quod Christus fuerit finis beatitudinis Angelorum, et exemplar filiationis adoptivæ, in nobissim

pliciter, et de facto, in Angelis quantum ad aliquam accidentalem perfectionem; non vero est exemplar necesse, sed liberum, quia sine illo potest esse filiatio adoptiva: alia ergo solutio, et sententia tenenda est.

XXIV. Ad quartum respondetur illo fere arguento solere impugnari sententiam Cajetani, circa tres ordines rerum, quos connecti, et subordinari dicit. Respondetur ergo, quod viso peccato primi hominis, visa sunt omnia peccata actualia, et omnes homines in individuo; non explicite secundum omnes circumstantias, sed implicite, et in virtute, et quantum est ex parte peccati originalis, in cuius virtute continentur omnia alia peccata, quæ ex effrænata natura sequuntur.

XXV. Et quando Cajetanus dicit, quod ordo naturæ antecedit ordinem gratiæ, et hypostaticum, loquitur in sensu formalí, quod ordo naturæ sub præcisa ratione naturali: ut enim induit aliquem respectum ad ordinem hypostaticum, sub illo non antecedit talem ordinem. Unde quando instatur, quod omnia peccata actualia ex originali deducuntur, ac pertinent ad ordinem naturæ, solum infertur, quod in virtute, et implicite, et sub ea præcisa ratione, qua pertinent ad ordinem naturæ, et ab ea originantur, prævidentur; quod est implicite prævideri.

XXVI. Et quando adhuc instatur, quod Christus propter peccata actualia redimenda venit, et consequenter debuit prævisio eorum antecedere, aut argumentum factum de prævisione peccati inefficax est, respondetur, quod prævisio eorum debuit antecedere, vel virtualiter, vel formaliter; et hoc convincit argumentum: non tamen est necesse, quod omnia peccata actualia explicite, et formaliter secundum omnes circumstantias sint ante decretum incarnationis prævisa, sed sit præ-

visum universale, et generale peccatum, in cuius virtute omnia illa continentur, et ad redimenda omnia illa decrevit Deus mittere redemptorem; ex quo decreto deinceps multa peccata, et multi homines, qui non sine relatione ad Christum futuri erant, incepérunt formaliter, et explicite videri; sicut illi homines, qui ex meritis Christi nati sunt, et peccata, quæ versantur erga Christum, etc.

XXVII. Atque ita universaliter observandum est in distinctione horum ordinum, et instantium in Deo, quod non oportet in quolibet instanti, aut ordine videri aliiquid complete, et explicite, quoad omnia ad ipsum pertinentia, quia cum ad invicem sint connexi, saltem ex determinatione voluntatis Dei, quantum ad aliiquid, vel alias circumstantias dependent ab uno ordine, et quoad alias ab alio, et ita non potest in uno ordine, aut signo perfecte, quoad omnia aliiquid prævideri. Sicut quia causæ ad invicem sunt causæ, et effectus pendet ab omnibus illis, non potest in una prioritate naturæ, qua aliiquid consideratur, ut pendens tantum ab una causa adæquate, et complete considerari, donec in alia posterioritate consideretur, quæ ad invicem respectu alterius, prioritas quedam est.

XXVIII. Ad confirmationem respondetur, quod quando Deus permittit malum, ut eliciat bonum ex illo, illud malum se habet ut materia, et illud bonum ut finis talis materiæ, ex qua illud elicetur, ut ex materiali præsupposito. Unde in genere causæ materialis præcedit prævisio mali, et peccati; in genere autem finis efficaciter intenti præcedit incarnationis. Et quia isti ordines providentiae generalis, et prædestinationis decreti inefficacis, et efficacis, habent inter se connexionem, sicut causæ ad invicem sunt causæ, et ex

uno ut ex materiali præsupposito fit transitus ad aliud; ideo post institutum ordinem naturæ, et gratiæ sub providentia generali, permissio, et prævisio peccati, per quod fuit factus transitus in genere causæ materialis ad ordinem efficacem prædestinationis, habuit duas considerations; alteram quatenus præcise erat lapsus a gratia status innocentiae; alteram quatenus duraturum illud peccatum contra statum innocentiae prævidebatur, et secundum primam considerationem adhuc pertinebat ad ordinem providentiae generalis, juxta secundam ex Christo, ut ex bono eliciendo a tali peccato, dependebat ut a fine intento efficaciter, in quem ordinem intrabat peccatum originale, ut de facto duraturum.

XXIX. Ad quintum, negatur gratiam pro illo statu, et sub illo præciso conceptu fuisse ex influxu Christi. Et ad probationem respondetur, quod Adam est justificatus ex fide Christi venturi tamquam objecti cogniti per fidem, non tamquam causæ illius gratiæ, et justificacionis. Sicut probabile est Angelos in via cognovisse per fidem mysterium incarnationis, et non fuisse justificatos ex meritis Christi, quia cognoverunt illud sub ratione causæ propriae gratiæ. Licet enim Christus Dominus sit causa gratiæ, potest tamen attingi ipsa incarnatione, et ejus dignitas, et consummata gloria, quin intelligatur ipsum esse causam talis gratiæ, vel talis status gratiæ, quia esse causam gratiæ fuit libere annexum ipsi incarnationi, potuitque vel absolute esse mysterium incarnationis, sine hoc quod causaret gratiam, vel potuit causare unam, et non aliam. Et D. Thomas non dicit Adam cognovisse Christum, ut consummatorem gloriæ, sed prout ordinabatur ad consummationem gloriæ; potest

autem ordinari ad consummationem gloriæ, et non cognosci ut causator gloriæ, et gratiæ. Sicut Angeli cognoscunt Christum ordinari ad consummationem gloriæ auctoritative, et quoad dignitatem, nec tamen causare gloriam eorum absolute.

XXX. Et si instes: Nam in statu innocentiae fuit Ecclesia; ergo dicebat ordinem ad Christum; alias Ecclesia Christi non fuisse ab initio, respondetur, sub illo statu fuisse Ecclesiam Christi quasi materialiter, et in potentia, quia personæ illæ futuræ erant membra Christi non formaliter: ille enim status formaliter non pendebat a Christo venturo pro illo statu. Ad confirmationem, respondimus supra in commentario articuli tertii. Et reddimus rationem, cur Adam non fuerint pro illo statu revelata motiva, et causæ veniendi Christum absolute, et quoad omnes circumstantias, sicut nobis.

XXXI. Ad sextum respondetur: Si aliquid urget illud argumentum, urgere sententiam Vazquez, qui docet redemptionem esse finem cuius gratia, et incarnationem esse medium; sic enim volita esset redemptio ut res, seu objectum volitum antequam Christus. Nec tamen adhuc multum urget, quia illa voluntas redimendi hominem, diceret Vazquez, licet non esset per Christum, tamquam per finem, sed tamquam per medium, et hoc modo salus hominis est per Christum, tam quoad sufficientiam, quam quoad efficaciam, quia illa voluntas redimendi semper dependet a Christo ut a medio, nec amplius requiritur ad salvandum, quod sit per Christum; sed quia tamquam inconveniens reputavimus redemptionem hominis esse finem cuius gratia, cum sit finis effectus, et incarnationis causa illius principalis, et supe-

rior, ad incarnationemque tamquam ad finem referatur omnisordo gratiæ, et consequenter etiam redemptio, seu justificatio a peccato, quæ est quid supernaturale, et ordinis gratiæ, quod utique a plenitudine Christi ut a principali causa, et fine dimanare debet.

XXXII. Ideo omissa sententia Vazquez, facilius dicimus ad argumentum in forma: Christus fuit prædestinatus solum ex motivo peccati, concedo antecedens; ergo Deus prius voluit redemptionem hominum, quam incarnationem Christi, distinguo; prius ut motivum, et rationem volendi Christum, concedo; ut rem volitam, nego: ergo illa voluntas redimendi non fuit per Christum, nego consequentiam. Quando enim effectus alicujus causæ est motivum volendi ipsam, quia scilicet valet ad talem effectum, vel ad plures, non sequitur quod voluntas illius effectus, ut movens ad eligendam talem causam, non sit per illam causam tamquam per causam finalem, imo oppositum sequitur, cum ideo eligatur aliquid, seu intendatur, quia est causa talis effectus, et talis effectus est per illam: unde voluntas talis effectus ut motivi volendi causam, non est independens ab illa causa, nec a meritis ejus, ut causa talis effectus, sed potius dependens.

XXXIII. Et si instes: Quia D. Thomas in hoc articulo, solutione ad quartum, comparat remedium peccati ad voluntatem incarnationis, sicut orationes aliquorū ad salutem hominis, quem prædestinat; sed orationes se habent ut medium respectu prædestinationis ad gloriam alicujus: ergo et remedium peccati ad voluntatem incarnationis

XXXIV. Respondetur hanc auctoritatem nihil juvare sententiam Lorcae, quia D. Thomas non affert

hoc exemplum, quantum ad resolvendum, quod in prædestinatione se habeat ut medium, vel finis; sed quantum ad hoc quod prædestinatione supponere potest præscientiam futurorum. Et loquitur D. Thomas de præscientia futurorum absolute, non conditionate, ut male Lorca putat: nam si peccatum solum erat prævisum sub conditione, quando decretum est Christum venire, non poterat D. Thomas absolute pronuntiare, quod non veniret Christus peccato non existente, quia nondum constabat illam conditionem esse purificandam, et consequenter, vel non nisi conditionate decernetur Christum venturum, vel debere venire etiam conditione peccati non posita, militantque contra hujusmodi modum decernendi, ita imperfecte, omnia supra allata.

XXXV. Ergo D. Thomas solum vult, quod orationes præsciuntur ante prædestinationem salutis, et gloriæ non absolute, et ut primo est intenta per modum finis, sed salutis ut implenda, ut expresse dicit esse quoad effectum executionis. Et ita exemplo hoc declarat, quod sicut unus effectus prædestinationis, scilicet salus ut implenda, supponit præscientiam alicujus futuri, verbi gratia orationum, per quas implenda est, ita in prædestinatione incarnationis non est inconveniens aliquid supponi ut futurum, scilicet peccatum antecedenter ad ipsam incarnationem, in cuius remedium prædestinatur; nihil autem in hac comparatione refert, an se habeat ut medium, vel ut motivum.

XXXVI. Ad confirmationem respondetur probare, quod redemptio nostra sit effectus incarnationis, et propter illam tamquam propter finem, et causam, in quo valde deficit Vazquez, qui vult nostram justificationem esse propter gloriam

Christi, id est, exaltationem nominis ejus, non tamen per ipsam incarnationem, cum ipsa incarnatione sit principium gloriae Christi, et summa ejus gloria. Non tamen sequitur, quod incarnatio sit volita ante redemptionem nostram ut motivum; jam enim ostendimus effectum alicujus causae posse essemotivum, ut intendatur, et ita incarnatio est volita ut res, redemptio ut motivum.

XXXVII. Ad ultimum respondeatur, quod ex vi præsentium decretorum, ut causantium efficaciter prædestinationem, nullus prædestinaretur in statu innocentiae; esset enim tunc necessaria alia prædestination, et decretum; neque hoc est ullum inconveniens. Ex vi etiam præsentis decreti status innocentiae, ut providentiae generalis est, nullus prædestinaretur, quia prædestination, specialis providentia est; ex motivo autem instituendi illum

statum daretur tunc prædestination; non ista, quæ modo data est per Christum, sed alia illi statui accommodata, et hoc sufficit, ut salvetur in illo statu dandam fuisse prædestinationem ex vi, non præsentis decreti, sed motivi ejus, quod erat ostensio gloriae Dei in ordine gratiæ perfecte.

XXXVIII. Ad confirmationem respondetur solutione ibi data. Ad impugnationem dicitur merita mortificata manere in acceptatione Dei quantum ad jus, quod habent de se ad gloriam, et hoc jus ex sua natura habent etiam in statu innocentiae; non tamen necesse est, quod sint in acceptatione Dei efficaciter transmittente ad gloriam, sed sufficit quod hæc efficacia superveniat ipsis ex gratia reparante, et vivificante illa, tollendo peccatum, cui gratiæ merita illa uniuntur, et sufficit in acceptatione Dei solum habuisse jus ad gloriam.

## QUÆSTIO II.

### DE MODO UNIONIS VERBI INCARNATI.

#### ORDO ARTICULORUM.

Incipit in hac quæstione tractare D. Thomas de incarnatione quoad quid est: et cum quidditas, seu definitio incarnationis sit duarum naturarum unio in una persona, explicat D. Thomas hanc quidditatem quantum ad tria. Primo, explicat quasi objectum unionis, seu materiam circa quam, a quo species materiæ desumitur: secundo, quantum ad ipsam unionem in se, ejusque perfectionem: tertio, quantum ad causas, quibus facta est, tam physicam, quam moralem, quæ consistit in meritis, et gratia eam præcedentibus. Et quantum ad primum sex prioribus articulis explicat sanctus doctor materiam, circa quam versatur hæc unio. Quantum ac secundum explicat tertio articulo, quid sit ipsa unio in se. Quantum ad tertium tribus aliis articulis ostendit per quam causam est facta hæc unio.

Igitur in sex prioribus articulis (ut aperiatur modus, et ordo doctrinæ, quem servat S. Thomas) advertendum est id, quod docet articulo sexto, quod diversi errores fuerunt circa unionem incarnationis, in quo vero facta fuerit, et illos removendo, adstruendaque veritate catholica circa hanc unionem, oportuit primo sex articulos facere. Quia enim ad catholicam veritatem, et definitionem quidditativam incarnationis oportet statuere pluralitatem naturarum in unitate personæ, ita quod naturæ ipsæ inconfusæ, et integræ permaneant, et ipsa persona substantialiter sit una, et substantialiter uniat in se illas naturas, multi non valentes hæc omnia conjungere, et intelligere in varios errores lapsi sunt. Nam quidam ut Eutyches, fatebantur duas naturas fuisse ante unionem, humanitatem, et divinitatem; post unionem autem non mansisse duas, et ita concedebat unionem hanc factam esse ex duabus naturis, quasi antecedentibus; non tamen esse in duabus naturis, quasi manentibus distinctis post unionem. Et contra hunc errorem articulo primo positus est, in quo inquiritur, an facta fuerit unio Verbi in natura; et non inquiritur, an ex naturis facta sit.

Alii vero, ut Nestorius per aliud extreum, ita adversati sunt Eutychetis errorem, ut non solum duas naturas, sed etiam duas personas posuerint, hominem et Deum; unde consequenter excludebant unionem in persona, et solum ponebant factam esse in affectu, vel dignitate, aut extrinseca aliqua denominatione. Et contra hunc errorem positus est articulus secundus.

Deinde vero alii volentes declinare hæresim Nestorii, inciderunt secundum rem in illam; nam cum viderent ex compositione corporis, et animæ resultare compositum, et consequenter quoddam totum ex illis partibus, non distinguebant a supposito compositum, seu substantiam completam hypostaticæ; et aliunde viderent esse hæresim Nestorii ponere duas personas, primo distinxerunt suppositum, seu hypostasim a persona, dixeruntque esse in Christo unam personam secundum dignitatem,